Beck · Consilia formulae compositae · 1830

# RECTOR

## UNIVERSITATIS LIPSIENSIS ET SENATUS ACADEMICUS

# SACRA SAECULARIA

## AUGUSTANAE FORMULAE PUBLICAE

TERTIUM A. D. XXV. M. JUNII

ET SQQ. A. C. MDCCCXXX

IN AEDE ACADEMICA

PIE SOLEMNITER FELICITER

CELEBRANDA INDICUNT

---

CONSILIA FORMULAE COMPOSITAE, RECITATAE, TRADITAE, EDITAE, DEFENSAE ET PRUDENTISSIMA ET SALUBERRIMA EXPLICUIT

D. CHRISTIANUS DANIEL BECKIUS

ACAD. PROGR.

---

LIPSIAE,

TYPIS RÜCKMANNI.

MDCCCXXX.

Quamquam, quae sint et quantae virtutes eius formulae doctrinae evangelicae, quae, quum in comitiis Germanorum principum ab imperatore Carolo V. a. 1830. Augustae Vindelicorum, ipso moderante, institutis [1]) proposita et exhibita esset, inde Augustanae Confessionis nomen, Georgio Brandenburgico auctore, accepit, a multis sunt et in sacrorum emendatorum commentariis et in ipsius formulae editionibus et interpretationibus [2]) et singularibus libellis [3]) est demonstratum: de consiliis tamen, quibus illae ipsae virtutes respondent, in variam partem est disputatum. Quae consilia nisi accurate fuerint cognita et explorata, non satis recte de omni formulae indole et vi poterit statui. Ita enim intelligetur, quam apta, quaecumque No-

1) Consilium Caroli primarium et politicum fuit, ut deliberaretur de auxiliis contra Turcas, atrocissimum, haereditarium atque veterem Christiani nominis ac religionis hostem, quomodo illius furori et conatibus durabili et perpetuo belli apparatu resisti possit. Quae sunt verba praef. A. C. Neque vero ea auxilia, quorum maxima tum fuit necessitas, sperari poterant, nisi mitigatis, qui per Spirensia comitia exacerbati erant, animis et utcumque sedatis dissidiis. Quare secundo loco propositum consilium eo spectavit. Hoc autem Carolus, cuius animus et sensus in ipsis comitiis saepe vel sua quadam levitate vel aliorum vocibus mutatus est, non constanter tenuit. Nam post Mercurium Gattinaram Laurentio Campegio, callidissimo Romano legato, magna apud eum fuit auctoritas.

2) Ex quibus recentissimae hanc in rem scriptae sunt a Jos. Guil. Schoepfio, (die symbol. Bücher mit hist. Einleit., kurz. Bemerkungen und ausführl. Erörterungen etc. T. 1. p. 24. (ss) et C. A. Hasio (Libri symbb. eccl. ev. T. 1. 1827. Loc. 2.)

3) Antiquiores Feuerlinus in Bibl. symb. Evang. Luther. eiusque editor Riedererus I, p. 108. ss. recentissimos Symbolae literar. Lipsienses in Additam. n. 21. enumerarunt nonnullos laudarunt ephemm. litt. Jenenses, n. 94. 95., optimos indicavit S. V. Danzius in libro: Die Augsb. Conf. nach ihrer Geschichte etc. Grundriss zu Vorlesungen nebst Angabe der dazu gehörigen Litteratur. Jenae. 1829. Nuperrimi plures sunt in usum et scholarum et quorumvis Christianorum scripti, in his Engelii.

stri et scripserunt tum et fecerunt, ingenio illius aetatis et rerum eius civilium et sacrarum fuerint; quod ingenium, quae indoles cujuscumque temporis in publicis privatisque consiliis et institutis nunquam non ab omnibus sunt spectanda, [4]) qui meminerint, eam, quae certae cuidam aetati propria est et palam se prodit, cogitandi, statuendi, iudicandi, optandi, agendi rationem, sive ea vere petat meliora et ad ea adducat aequales, sive a recta ratione aberrare videatur, non sine divino numine exstitisse et subesse sapientissimo eius moderamini, nec pie facere qui temere ac cupide ei resistere audeant; ita patebit, quam bene et salubriter in illa formula elaboranda, reddenda ac tuenda potuerint libertas dicendi, constantia tenendi, severitas defendendi ea, quorum veritas erat certissime cognita et firmiter probata, coniungi cum moderatione eloquendi, studio pacis, amore communis omnium salutis, quarum virtutum necessitudo nostris etiam hominibus cum maxime est commendanda. [5]) Nam hic quoque valet, quod ille scripsit: „Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita exemplo intueri; inde tibi, quod imitere, capias; inde, quod vites. „Itaque invitationi ad celebrandam memoriam formulae nostrorum sacrorum ante haec tria saecula conditae consentaneum visum est praemittere, quae de eius consiliis prudentissime et saluberrime tum captis tum perfectis meditatus sum, ut, quae nobis inde repetenda sint exempla ingenii et indolis eorum, qui vere Protestantes appellantur, sponte cognoscaur. Etenim de consilio formulae compositae varie nuper statutum est. Fuerunt enim qui illam propositam unice esse existimarent, ut iussis imperatoris obsequium praestaretur. Quod obsequium quamquam in ipsa praefatione A. C. commemoratum est, [6]) tamen non praecipuum dici potuit consilium; res enm altiora spectavit; omne nunc exponendum

4) Cognosci hoc ingenium cuiusque temporis facile potest, modo probitas contemplandi a studio vel vetustatis opinionum vel commoditatis emolumentorum absit.

5) Cfr. V. Ullmann in Theol. Bedenken aus Veranlassung des Angriffs auf den hallischen Rationalismus p. 81.

6) Add. Coelestinus Hist. August. Comitiorum. T. 1, p. 15. s.

erat nostrae et familiae et doctrinae ingenium, consilium, studium, quatenus per illos duodecim annos sensim erat formatum et in ea formula, qua contra Spirensia decreta ad ipsum Imperatorem provocabatur (Protestationis et Appellationis instrumento appellato et tum a S. V. Tittmanno superiori anno, additis historicis animadversionibus, tum a Rev. Jungio, Argentinensi, hoc anno inter Acta historica comitiorum Spir. p. LXXVII. ss. repetito), declaratum. Placuit igitur aliis irenicum consilium formulae fuisse propositum, ita ut sacri oratores etiam his, quos agemus, diebus festis placabile consilium A. C. potissimum spectare et sequi iuberentur; sed, quamquam auctores in praef. p. 2. germ. et p. 6. s. (ed. recentiss. Tittmann.) ostenderunt, se paratos esse ad colloquia cum alterius partis asseclis hac formula duce instituenda, ut, quantum honeste fieri posset, convenirent: tamen non ita puto eos ab usu et experientia aliquot annorum et rerum fuisse alienos, ut vere sperarent, quod ibidem legitur, re pacifice agitata, diremtum iri dissensionem, quae iam tanta fuit, ut, qui Romani et Pontificis Max. et coetus nosset ingenium, is facile praevideret reditum ad Romana sacra postulatum iri, non mutuam consensionem. Quis enim crediderit, vel Romanam curiam vel imperatorem, qui cum ea de opprimendis haereticis modo egerat, vel utriusque Theologos quidquam novae doctrinae esse concessuros, quod memorabile esset? Multo autem minus hoc fuit consilium, ut proponeretur formula, cui obstringerentur, quicumque ei addicti essent, ita ut nunquam vel levissime ab ea recederent. Neque enim ei officio novae formulae obligandi cives tum locus fuit, neque ipsa formula tale ullo loco prodit consilium 8), neque integram complectitur evangelici

---

7) Cfr. Dr. J. C. G. Johannsen in libro: die Entwickelung des protestantischen Geistes bis zu seiner völligen Darlegung auf dem Reichstage zu Speier. Havniae. 1830. p. 214. ss. Quod nostrae ecclesiae ingenium omne vel maxime erat alienum ab eo consilio, quod nuper Aug. Moserus descripsit: der Geist und Character der Kirche kurz vor ihrer Reformation u. s. w. Halis 1830. 8.

8) Nam quae doceant Nostri, quaeve mutaverint iam, exponit, non quae profiteri nostros oporteat.

coetus doctrinam, systematis modo expositam, neque impedit, quo minus amplius explicetur haec doctrinae summa [9]), neque ita fuit suis numeris absoluta, quin occurrerent, quae emendanda ipsi Melanchthoni viderentur, [10]) et satis constat, quando et quibus de causis, quas enumerare longum est, symbolicam auctoritatem, cui adstringendi sint coetus nostri cives, nacta fuerit et quatenus ea teneantur lege [11]). Imo primarium ejus consilium duplex fuit, quorum alterum positivum, negativum alterum dicere liceat, [12]) utrumque tamen coniunctissimum. Nam et suae doctrinae, ex sacris scriptis unice haustae, summam exhiberi principes voluerunt, unde cognosceretur, quid vere doceretur ac contra priscos ac dudum damnatos haereticos statueretur, id quod multi adversarii ignoraverant, ut ipse Bavarus dux Guilelmus professus esse traditur, et refellerentur criminationes Pontificiorum pessimae. [13])

---

9) V. epilogus A. C. p. 55. Tittmann. Itaque eatenus perfecta est, quatenus tum consiliis paulo post indicatis respondit. Cf. Plank. Gesch. d. protest. Lehrb. T. III. P. 1. p. 53.

10) vid. S. V. Bretschneider in libro: Sendschreiben über die Frage: ob evangelische Regierungen gegen den Rationalismus einzuschreiten haben? L. 1830. p. 40. s.

11) Cfr. Libr. Ist die Augsburgische Confession eine Glaubensvorschrift der lutherischen Kirche. Eine histor. Untersuchung zur Beruhigung der Regierungen, welche den protestantischen Lehrbegriff erhalten wollen und die Lehrer, welche für ihre Denkfreiheit bekümmert sind. In Briefen eines alten Luther. Predigers an seinen jüngern Amtsbruder, Hal. 1795 et 97 duobus fascicc., qui liber ab I. A. Eberhardo, celeberrimo Prof. Halensi, scriptus est eo tempore, cui nostrum simillimum est, et multo doctius quam quae in Branii Minerva, menstruo libro huius anni, leguntur commentationes Einige Bemerkungen und Erörterungen betreffend die Augsb. Confession Jan. p. 1 — 52) et: Ueber die Augsburgs. Confession als symbolisches Buch (m. Mart. p. 321 — 391). Add. Wohlfarth. zur Feier des dritten Säcularfestes der A. C p. 42. ss. 57. ss 70 ss.

12) Quemadmodum nuper principium ecclesiae nostrae duplex est distinctum, negativum et positivum v. S. V. E. Zimmermann über das protestantische Princip in der christlichen Kirche, Darmst., 1829. et Johannsen l. l. p. 257. ss.

13) V. Epilog. A. C. Cyprian. Hist. d. A. Conf. p. 54. s. Melanchthon in Consiliis Theolog. ed. Petzel. T. I. (1600) p. 92. Hoc, inquit, consilio omnes fere articulos fidei complexus sum, quia Eccius edidit διαβολικωτάτας διαβολὰς contra nos. Idem ib. p. 392. urgebant etiam nostros maledici libri, qui ipso

Quod consilium quanta et quam singularis prudentia, qua opus fuisse ipse Melanchthon sensit (Consil. T. I. p. 11.), moderata fuerit, ita patet: 1) posteritati omni innotuit, formulam hanc nec privato consilio scriptam nec obtrusam esse Carolo non poscenti, quae sunt Melanchthonis verba (Cons. T. II. p. 391. Petz.); 2) intellectum est, non contineri ea privatam Theologorum nonnullorum opinionem sed consensum praestantissimorum imperii principum et ordinum [14] omniumque, quotquot et in Germania et extra eam emendata sacra vel diligenter sectabantur vel cupide appetebant; 3) quum, quos Joannes septemvir imperatori legendo celeriter a Luthero conscribi iusserat, XVII. Torgavienses articuli, quos a Suobacensibus a. 1829. m. Octobri compositis non discrepare constat, [15] nimis essent breves nec satis capita dissensus novae et Romanae ecclesiae viderentur explicare, retractati illi novique sunt elaborati a Melanchthone Augustae Vindelicorum, quod ut prudenter factum est, ita ille non minus prudenter socios gravissimi laboris elegit et Lutherum iudicem, a quo probata esse quae scripserat et laudata, constat. [16] Celebrata vero est 4) illa diligentia, quam impendit huic labori, ut nec longior nec brevior iusto existeret et perspicua esset oratio neque ambigua, illa moderatio et aequitas in refellendis adversariis, quae parcebat atrocibus verbis,

---

conventus tempore ab adversariis spargebantur, ut Caroli animus exasperaretur. Miserandi vero principes, quorum aures talium hominum conviciis obtunduntur. De criminationibus istis vid. Rev. M. E. Engel in libello: Die Augsb. Confession als des Evangeliums Kern und Zeugniss p. 71. Posterius autem consilium defendendi doctrinam evangelicarum adversus malevolorum calumnias effecit, ut ipse auctor Melanchthon eam appellaret apologiam, v. Consil. I. p. 86. et 92. et ipsa formulae natura, quod ad 7. postrema capita inprimis attinet, ei nomini respondet, quamquam Confessionis nomine imperatori traditae.

14) In exemplo Noribergensi, quod Georg. Wolfgang Panzer a. 1782. edidit, plura etiam nomina eorum qui subscripserunt, quam in aliis, leguntur.

15) Abschied zu Schwabach 1529; nebst den Artikeln nach dem Original im Archiv der Reichsstadt Ulm ap. Weber. Gesch. d. Augsb. Conf. Beilagen T. I. n. 1. add. Plank. p. 23. Lutherus defendit 17. illa decreta, v. Additam. ad Cypriani Hist. A. C. n. 11. p. 159.

16) Loca eam in rem laudavit Danzius p. 9. et p. 14. Add. Lutheri epistt. Tom. IV. editionis earum amplissimae a Dewettio curatae.

neque magis animo viri mitissimo quam consilio deliberato est tribuenda, [17] tum 5) illud studium perficiendi libellum quod eum impulit ut, etiamsi citius exempla minus absoluta emanassent, [18] ipse tamen ad illud usque tempus, quo tradendus esset imperatori, orationem nonnullis locis emendaret. [19]. Itaque prodiit opus, quod accurate et fideliter exponit decreta et ritus, et latina oratione tantum praestat adversariorum scriptis, quantum barbaries scholastica sermoni Roman. antiquo cedit. [20] Effectum vero ita est prudenter, ut novum coetum iam satis esse constitutum et firmatum pateret. Nam si, quod negari nequit, quaevis familia tum constituta est, quando suae institutionis qualemcumque formulam publice proponere ausa est, facile existimari potest, unde sint publicae origines nostrae, ab aliis separatae, familiae christianae repetendae; sin quaeritur, quando ea suum inter alias locum secure obtinuerit, viginti et quinque annis post hoc ei contigisse in promtu est. [21] Quae consilia prudenter deliberata et servata quam

---

17) Consil. I. p. 86. Ego apologiam paravi scriptam summa verecundia; neque de his rebus dici mitius posse arbitror, et p. 87. moderatissime scriptam dicit, ut appareat, nos non abhorrere a consiliis pacis. Quae ipsa moderatio nonnullis offensioni fuit. Vid. Melanchthon. Responsio ad sycophanticas reprehensiones moderatorum consiliorum suorum, ib. T. I. p. 288. Add. Christi. Niemeyeri liber: Philipp Melanchthon im Jahre der Augsb. Confession 1530. Selbstschilderung durch dessen Briefe, Hal. 1830. Sect. 1. et 2.

18) V. Panzer praef. ad edit. A. C. Norimb. et de editionibus, quae insciis principibus factae sunt, Weber. Krit. Gesch. d. A. Conf. I. p. 134. s.

19) In Consil. I. p. 87. (Niemeyer p. 13): Ego mutabam et refingebam pleraque quotidie, plura etiam mutaturus, si nostri συμφράδμονες permisissent. Add. eius ep. ad Lutherum, ib. p. 91. Utinam vero non existimasset, licere sibi in scripto publico quod traditum erat in conventu OO. Imp., tanquam suo, nonnulla mutare. Ceterum de locis (articulos dicunt) quos antea Waldesio reddidisse traditur, satis exposuit S. V. Planckius III. 1, p. 47. ss. qui ipse p. 42. ss. omnem modum quo composita est A. C. vere collaudavit.

20) Comparet modo quis scriptum: pro religione Christiana res gestae in Comitiis Augustae Vind. habitis a. 1530. Additam. VII. ad Cypriani Historiam. p. 85. ss.

21) Illustrari hoc potest exemplo rei publicae septentrionalis Americae. Non recte igitur nuper alius censuit, articulos Smalcaldicos demum continere documentum nostrae constitutionis et verae libertatis, alius autem distulit ad

fuerint et nunc quoque habeantur salutaria, vix opus est, ut multis demonstretur verbis et argumentis. Quis enim non videt, ita effectum esse, ut longe aliter quam olim statueretur de nostrorum hominum doctrina, voluntate, constantia, probitate, religione, moribus? quae sententiarum mutatio ita et nostris saluti fuit, ut acerrima erga ipsos odia aliquantum mitigarentur 22) et exteris, ut non pauci ad amplectendam nostrorum decretorum vel partem vel summam, permoverentur et Romanis, ut levare iuga, quae suis imposuerant cogerentur? quis non intelligit plerorumque nostrorum necessitatibus consultum esse eo, quod norma quaedam doctrinae emendatae proposita est et summa, cujus singula decreta ab asseclis novorum sacrorum vel ex libris Lutheri aliorumque pluribus vel ex sacrarum litterarum lectione vel ex oratorum sermonibus, non omnino probabilibus, erant colligenda et ab hominibus parum eruditis non semper satis recte explicabantur, 23) et quod summarium prodiit doctrinae ita ad illorum temporum usum et quorumvis hominum intelligentiam accommodatum, ita simpliciter et perspicue scriptum, ut et explicari facile et recte probari potuerit.

II. Adjuvit eam consiliorum salubritatem ipsa formulae solemnis recitatio 24) coram Imperatore et Comitiorum Ordinibus in

finem Concilii Tridentini, cujus decretis familia nostra a Romana penitus est etita sejuncta, ut, quamdiu illa valent, nulla, quae recte dicatur, sacrorum reconciliatio speranda sit animorum concordia etiam restituta.

22) Ipse etiam imperator mitius sentire coepit, fasso hoc Eccio, auctore Melanchthon. Consil. T. 1. p. 90.

23) Praecesserant Melanchthonis loci communes, sed in doctorum usum scripti et serius expoliti, articuli visitationis qui appellabantur (v. Chursächs. Visitationsartikel vom J. 1527. u. 1528. latein. u. deutsch herausgegeben von Geo. Theod. Strobel, Altd. 1716. 8.) sed ecclesiae ministris inservientes. et uterque Lutheri Catechismus (de quo nuperrime quatuor Commentationes scripsit S. V. Illgenius noster,) neuter omnibus desideriis satisfaciens, minor tamen inprimis probatus saepiusque editus et in omnes fere linguas translatus, quas versiones enumeravit Burscherus in VII. oratt sacris festo Reform habitis p. 168. ss. veruntamen non ita copiosus ut Augustana formula. Quae quatenus normam contineat doctrinae, a Fikenscherio quaesitum est libro mox laud. p. 236. ss.

24) De ea abunde narratum est ab iis, qui historiam comitiorum illorum exposuerunt, ad quos nuper accesserunt Mauritius Facius (Gesch. des Reichs-

loco, qui, etsi non plurimos, eos tamen capiebat auditores, quorum maxime intererat, hanc, alta, lenta et clara voce, vernaculo sermone, praelectam cognoscere [25]; quod quidem prudenter est, nec sine quadam contentione, ab imperatore Carolo impetratum. Nam etsi latini sermonis non imperiti fuerunt, qui tum aderant principes, legati urbium, et docti homines, frequentior tamen erat et familiarior patriae linguae, qualis tum fuit, usus, iisque etiam accommodatus, qui latinam non callerent. Quodsi latine aut scriptis aut typis mandata fuisset itaque exhibita, quod Carolus voluerat, ea formula, non potuit exspectari, ut legeretur ab omnibus, qui conventui illi aderant. [26] Auxit vero ejus vim gravissimam, qua ad propositam doctrinam commendandam et propagandam valuit, ipsa solemnitas ejus diei et conventus omnium ordinum imperii et auctoritatem quandam ei conciliavit, [27] qua si caruisset, non quidem vana fuissent omnia eius consilia, minorem tamen in animis aequalium habuissent vim et abfuisset ea illius dignatio, quae per

---

tages zu Augsburg im J. 1530. und der dazu gehörigen Documente L. 1830.) et D. Car. Fikenscherius (Geschichte des Reichstages zu Augsb. nebst einer Untersuchung über den Werth der Augsburg. Confession, Norimberg. 1830. 8.) notissimis ille libris, novis hic usus fontibus.

25) V. Salig, Vollständ. Historie der Augsb. Conf. I. p. 210. et S. V. H. W. Rotermund Geschichte des auf dem Reichstage zu Augsburg im J. 1530 übergebenen Glaubensbekenntnisses der Protestanten etc. Hannov. 1829. p. 17. ss. et p. 100. ss.

26) Praeter principes eorumque amicos et ministros, comites, nobiles, civitatum, quibus hoc ius erat, legatos, quosque nominavit Saligius T. I. p. 466 — 72., interfuerunt comitiis et recitationi formulae plures utriusque partis Theologi, de quibus exposuit, ante Rotermundum, et accurate, anonymus liber a Chr. Sigism. Liebe scriptus): Lebensbeschreibungen der vornehmsten Theologorum sowohl Evangelischer als Päpstlicher Seite, welche a. 1530. den Reichstag zu Augsburg besucht, und an denen, wegen Uebergabe der Augsb. Conf. angestellten Religions-Handlungen Theil genommen. Nebst einem Vorbericht von denen übrigen sowohl Evangelischen als Päpstlichen Gottes-Gelehrten, welche allda zugegen gewesen. Gotha 1730. 4.

27) v. Schröckh Hist. eccl. chr. inde a tempore emend. sacr. T. I. p. 67. s. et Fikenscher. p. 67. s. Add. Herm. Venema in Institut. Hist. eccles. T. VII. p. 62.

ipsos principes et legatos, quorum nomina erant adscripta et quibus praesentibus praelegebatur, contigit.

III. Cui quidem eius dignitati non parum videbatur eo consultum, quod Carolus ipse utrumque exemplum formulae, latinum et germanicum, e manibus Pontani accepit, in qua re Crellius (in libello Traiecti ad Viadrum a. 1730. edito cumque eo Saligius (Hist. A. C. I. p. 212.) singulare providentiae divinae documentum deprehenderunt. Nam quum Alexandro Schweissio, imperatoris amico, ille reddere exempla voluisset, Carolus porrecta manu ea recepit, quod quo animo fecerit, etsi nec tum divinari potuit, nec coniici facile nunc potest: ostendit tamen, quantopere mentem ad eam adtenderit,[28] quam vim esse eam habituram praeviderit, quam curam putaverit, omni quod inde oriturum erat, negotio inpendendam. Quem ejus ad haec omnia attentum animum inde etiam existimo intelligi, quod formulam, Coelestino quidem auctore (T. II. p. 190. Hist. Comit. August.) in varias linguas transferri jussit et exempla earum versionum ad reges Francogalliae, Angliae ac Lusitaniae misit, ita ut, si certa fide haec sunt tradita, potuerit exteris citius formula innotescere et inde iusta verae doctrinae evangelicae cognitio latius propagari. Quamquam autem primaria, quae dixi, exempla, quo pervenerint et ubi lateant, si supersunt, non constat et frustra quaesitum est:[29] ita ut prorsus evanuisse sit probabile: tamen prudenter ea Caroli manibus commissa sunt. Iam enim non facile adversariis licuit formulam calumniari, mutare, opprimere, quod nisi Carolus habuisset tradita sibi exempla, metuendum erat.

---

28) Principum etiam attentionem opinione maiorem fuisse, Melanchthon Cons. I. p. 87. scripsit.

29) V. Joach. Cph. Bertram über die Frage, wo das Original der Augsb. Conf. zu suchen sey? in (Rochii) Literar. Anzeiger 1800. n. 26. p. 249. ss. et idem in comment. über das lat. Original der Augsb. Conf. ibid. n. 179, p. 1765. Et Carolus quidem latinum exemplum Bruxellas secum deportasse dicitur, germanicum archiepiscopo et Septemviro Mogunt. reddidisse, ut in tabulario imperii Moguntino asservaretur. Non vero in eo tabulario neque in Actis Comit. August. repertum esse genuinum exemplum Weberus docuit in Krit. Hist. A. C. Add. Bertram über die zu Weimar publicirte Augsb. Conf. in eius litterar. Commentatt. vernacule scriptis T. II. p. 1. ss.

IV. Nam imperator quidem prohibuerat, ne stanneis formulis libellus ille describeretur. Cui interdicto si existimavit obedientiam praestari posse, erravit cum aliis. Quum enim brevi post recitationem editio duplicis familiae prodiisset vitiosa, necessarium fuit, ut formulae utrumque exemplum Melanchthonis cura ederetur Vitebergae a. 1530.,[30] quas primas editiones sequutae sunt plurimae aliae[31] et discrepantes. Uti autem prudentiae erat, curare, ut formula ita legeretur, ut vere scripta, probata et recitata erat, ne peccata vel editorum vel operarum adscriberentur auctoribus eius et familiae, quae illam proposuerat, nec culpa aliena affligeret innocentes: ita etiam utilissimum fuit, ut, quam primum fieri posset, veniret in manus omnium, qui vel a partibus nostris stabant vel erant alieni. Nam si doctrina ibi exposita et e sacris libris unice hausta cumque iis conspirans salutifera est omnibus, eam inde lectitando et meditando cognoscere atque praecepta eius imbibere, et in officiis fuit et salutare quam maxime; et si veritas eius doctrinae auctoritasque examinando et cum sacrorum librorum institutione atque historia rerum gestarum inter Christianos comparando, exploratur ac probatur, lectio eius diligens multis de ea sequenda persuadere potuit eorumque animis et vitae prodesse plurimum. Opportunitas igitur formulae legendae amplissima et facillima

30) Utramque editionem diligenter nuper repeti jussisse et suis disputationibus auctoritatem eius et fidem demonstrasse, animadversionibus eam illustrasse S. V. I. A. H. Tittmannum, Theologum apud nos primarium, constat. Nam aliae editiones ex apographis vel Moguntinis vel aliis fluxerunt neque genuinum exemplum originarium exprimunt.

31) De iis post tot disputationes copiosas et criticas non opus est ut dicatur. Ad nuperrimas, quas memoravi, accessit haec: Die Augsburgische Confession deutsch, nach Melanchthon's Hauptausgabe v. J. 1530. mit den Varianten der andern kirchlichen Redactionen herausgegeben von J. L. Funk, Pastor. Lübeck. 1830. 8. ubi etiam authentia huius Melancht. edit. defenditur et in praef. p. VIII. ss. et in Additamm. p. 140. ss. iisdem fere quibus Tittmannus usus est, argumentis, et variae lectiones editionum, quae ante Melanchth. prodierant et de quibus p. 156. actum est, sunt p. 133. ss. enotatae, aliae autem aliarum edd. subiectae textis, denique et de Melanchthonianis p. 158. et de iis editionibus, quae Moguntinum apographum sequuntur antiquis, p. 161., Webero praeeunte, actum est.

erat danda et adiumentum hoc sacrorum librorum relegendorum erat divulgandum, quo plurium saluti, quantum fieri posset, consuleretur. Huic consilio prudentissimo et saluberrimo multorumque voluntati ac desiderio prospectum est et satisfactum copiosissimis, quae exierunt, editionibus. Ne ue ei obfuerunt nonnullorum locorum in quibusdam editionibus, quae variatae vulgo dicuntur, mutationes aut emendationes. Neque enim eae, quamquam aliis de causis improbandae et nostris saepe exprobatae ab eius inprimis societatis asseclis, quae a Jesu nomen perperam sibi vindicare studuit, doctrinam ipsam in gravissimis locis corruperunt, [32] sed orationem modo et singula verba attigerunt, neque a formula nostri recesserunt [33] integra et intaminata curaruntque ut intemerata lectionis fides servaretur.

V. Enimvero non minor fuit et prudentia, qua tum usi sunt principes eorumque amici et theologi, non levior communis salutis cura, conspicua in consilio et modo, quo haec formula est defensa a criminationibus et fraudibus adversariorum et stabilita ac confirmata. Nam opus tum fuit immota constantia, unde Septemvir imperii Joannes tulit laudabile cognomen, [33] gravi Philippi magnitudine animi, quae rarum Philippo peperit et illustre cognomen,

---

32) Vid. Phil. Frid. Hane Historia critica de August. Conf. editionibus germanicis invariatis et denique corruptis distinete praecipiens, cum appendice pragmatica argumentorum quibus critica A. C. historia lucem sufficit. Hamb. 1732. 4. Add. Geo. Theodor Strobel Apologie Melanchthons wider einige neuere Vorwürfe des Herrn Hauptpast. Götze, Nürnb. 1783. 8. et J. A. Cramer Abh. über Melanchthons Veränderung des 10ten Art. der Augsb. Conf. in s. Nebenarbeiten zur theol. Literatur I. p. 47. ss. Caeterum mutaverat Mel. iam verba nonnulla in ed. Viteb. 1531. 8. plura in lat. exemplo 1535. v. Bertram in der Quedlinburg. theol. Bibl. VI. p. 43 ss., alia in edd. 1540.

33) Vid. Der Chursächs. Theologen nothwendige Vertheidigung des H. R. R. evang. Churfürsten und Stände Augapfels, nemlich der wahren reinen und ungeänderten A. C. 1628. s. etc. Nochmalige unvermeidl. und gründliche Hauptvertheidigung des Augapfels L. 1630. c. 23. ss.

33) Vid. Coelestin. T. III. p. 198. ss. et Lutherus quidem utrumque ad constantiam cohortatus est litteris scriptis et argumentis gravissimis. v. idem Coelestin. T. 1. p. 47. 138. II. p. 202. et Plank. l. l. p. 62.

quarum virtutum insignia exempla excitarunt alios omnes et inflammarunt, ut firma animorum concordia, quae formulae illi addictos animavit omnes inprimisque circumspecta consiliorum et factorum providentia, quód partum iam erat, teneretur neve res ad tumultum potius quam ad pacem, qua cuncta Germania indigebat, spectare videretur. Praevideri enim poterat, fore, ut de componenda dissensione et revocandis Evangelicis ad ea, a quibus discesserant, sacra disputando et scribendo ageretur. Nam et literae, quibus ordines Germaniae ad comitia Carolus convocaverat, et quae adhuc in utramque partem erant proposita scripta inprimisque confutatio 17. locorum Suobacensium in usum Septemviri Brandenburgici a nonnullis theologis Romanis scripta [34], et nonnullorum, qui interfuerant comitiis, adversariorum novae familiae acerrimorum studia, artes et incitamenta, hoc exspectare iubebant. Accedebat, quod ipsa nova formula multam praebuit impugnandi et tuendi materiem et opportunitatem. Itaque duplici utendum erat defensionis genere, altero in colloquiis institutis, altero in scriptis; illa postulabant brevem et promtam respondendi argumentandique subtilitatem et artem, in his quaerebatur copiosa et docta formulae explicatio, cui etiam addi debebant, quae consulto formula praeterierat aut tantum attigerat, uberius exponi novisque argumentorum praesidiis firmari, et in utroque genere cautissime erat versandum, ne ullo modo se circumveniri paterentur verborum lenociniis et disputationis artificiis. Erant vero etiam, quod Melanchthon praeviderat, [35] novae criminationes refutandae. Imperatorem enim iussisse, monitu et rogatu nonnullorum principum, ter institui colloquia [36] ita ut primo plures interessent legati, quibus id commissum erat, secundo quod de singulis locis A. C. habebatur, pauciores, non nisi sex tertio, inter quos soli duo fuerunt Theologi utriusque par-

34) Quam bene esse ab ea, quae in comitiis proposita est, Refutatione discernendam S. V. Tittmannus docuit in Praemonitis ad edit. vernaculae A. C. p. 60. quamque Lutherus singulari scripto refellerat. Add. Salig. I. p. 233. s.

35) Consil. I. p. 87. Nostrae doctrinae ascribent, quidquid fuit his annis motuum in Germania, quidquid exstitit perniciosorum dogmatum.

36) Primum d. 7. Aug. ad 13, secundum d. 16. ei. mensis ad 20., tertium d. 24 — 28. v. praeter alios Plank. T. III. I. p. 100 — 133.

tis. Verum etsi de nonnullis capitibus inter ipsos convenerat, et Melanchthon [37] etiam plura concessisse videbatur sive pacis, cuius studiosissimus erat eius animus, amore sive metu malorum, quae imminere videbantur, commotus, sive oratione eorum, quibuscum egit, deceptus, ita ut acriores formulae defensores etiam proditam esse suam causam, clamarent: tandem tamen intellectum est, quod ab initio existimari potuit, frustra esse laboratum de conciliandis sententiis et animis disceptantium. Quodsi Melanchthon imprudentius aut timidius interdum fecisse videri potuit, reputandum et probe expendendum est, quae fuerint illa tempora, quae minae imperatoris, quae suspiciones, quae pericula, qui metus rerum novarum, quae modestia Melanchthonis et humanitas, sibi magis quam aliis diffidentis, quam distractus multarum rerum cura et fractus eius animus, quae quidem omnia excusare eum apud aequales debuerant et a nonnullis recte sunt aestimata. Tum vero examinanda sunt ea, in quibus nimium concessisse ille adversariis dictus est, neque obliviscendum, hos quoque illi cessisse, sed in gravissimis capitibus, quae utrumque coetum distinebant, [38] ne proxime quidem alterutram partem ad concordiam accessisse. Fuit tamen prudentissime factum, quod colloquia non modo non detrectarunt, sed vel postularunt, quod sensum indulgentiae et facilitatis plenum multis modis demonstrarunt nostri, quod animum ad concedenda, quae salvis doctrinae summis capitibus dari poterant, paratum declararunt, et nec respondendi consiliis laudabilibus, nec amoris adversariorum probandi, nec publicae securitati et quieti, quantum in ipsis esset, consulendi officiis defuerunt; saluberrimum fuit, quod, quo tempore clarissime apparuit, non restitui posse integram doctrinae publicae consensionem inter eos, quorum sententiae de ipsis eius principiis et elementis discrepabant, etiamsi de quindecim formulae locis aliquatenus convenisset, [39] non ulterius progressi sunt, sed firmiter adhaese-

---

37) Post Camerarium et alios optime Melanchthonis famam Plankius defendit l. l. p. 134. — 151. Epistolas Melanchthonis tum scriptas nuperrime vertit et illustravit Niemeyerus in libri laud. tertia sectione, die Versöhnungsversuche inscripta, p. 64. s. et quarta.

38) V. Schroeckh. l. l. p. 478. — 82.

39) Quae sunt verba Venemae Hist. Eccl. VII. p. 83.

runt decretis et ritibus, a quibus discedere non liceret; quod ostenderunt, ita sibi certo de suae religionis veritate et sanctitate persuasum esse, ut ei obstricti ad pristina instituta redire non possent, quod consilia [40] Caroli imp. vel antea dissimulata vel nunc demum capta et ipsi detexerunt et cognoverunt omnes, qui huic familiae erant addicti, ut munirent se adversus ea et suae suorumque saluti optime prospicerent foederibus ineundis et armis parandis et scriptis etiam pluribus edendis. Nam Carolus iam ante, quam colloquia ista de reddenda ecclesiae sua unitate instituebantur, iusserat viginti Theologos Catholicos, quorum primarii erant Joannes Faber, Joannes Eccius, Conradus Wimpina, Joannes Cochlaeus et Joann. Dietenbergerus, acerrimii Evangelicorum adversarii, quam celerrime et brevissime possent, Augustanam confutare formulam. Quae eorum scriptio quum iam d. XII. m. Julii esset absoluta, sed et Imperatori et Principibus Catholicis Episcopisque ob eam rem congregatis d. XV. Iul. nimis et verbosa et acerba, neque tamen satis docta et accurata visa esset [41]: mutare illos oportuit libellum suum et tum breviorem tum mitiorem reddere, quum ipse imperator, auctore Spalatino in Annal., plurima delevisset; quae res istis hominibus, qui convitiari turpius quam rectius altercari didicerant, admodum fuit molesta [42]. Nova igitur, denuo recognita et latina aeque quam vernacula lingua conscripta confutatio die III. m. Augusti est in comitiis ordinum praelecta, hoc eventu ut imperator, qui eam totam vere Christianam nec ullo modo refellendam censebat, Evangelicos eam unice sequi iuberet. [43] Hoc quum facere Nostri nullo modo possent,

---

40) Haec consilia pro temporum et consultorum rationibus saepius mutata, sub finem comitiorum patefactum multis modis, inprimis postremis comitiorum decretis, (d. 22. Sept. d. 19. Nov.) et inique factis et dictis in Joannem Saxonem, est spectare ad opprimendam familiam.

41) Coelestinus T. III. et Saligius p. 264. ss. Wohlfarth. l. l. p. 23. et 26.

42) Vid Bertram von catholischen Confutationen der Augsb. Conf. in s. litterar. Abhl. P. IV. p. 116. ss. add. Walch. Brev. Theol. Symbol. p 128. Tittmann. Instit. Symb. p. 136. s.

43) Edita est latine apud Coelestinum T. III. p. 1. ss. germanice in Walchii edit. Scriptorum Lutheri T. XVI. p. 1219. ss. Recentissimae sunt: Formula Confutationis cum latinae cod. Ms. in bibl. Julii Pflugii tum germáni-

petierunt per Pontanum, ut imperator scriptam confutationem cum ipsis communicaret, quo possent accurate eam examinare, et, quae necessaria viderentur, monere. Quod quum impetrare non potuissent, nisi iniquis conditionibus, quamquam suis precibus idonea addiderant argumenta, Melanchthon, qui istam confutationem pueriliter scriptam nec ullum Fabri librum tam ineptum esse, quo non sit ineptior haec confutatio, iudicaverat,[44] et alii quidam, iussu suorum Principum, et sequuti vel ea, quae, quum audivissent praelegi, memoria tenuerant, vel capita locorum et argumentorum, quae nonnulli suorum exceperant, quam possent celerrime et satis graviter defensionem formulae Augustanae, conscripserunt, quae tanto magis erat necessaria, quo superbius adversarii de sua, quam adepti non erant, victoria gloriabantur. Hanc apologiam quum d. XXII. m. Septembris per Pontanum Principes imperatori obtulissent, accipere tandem eam Carolus noluit, monitu, ut videtur, Ferdinandi fratris, multo vero minus publice recitari voluit.[45] Verum, fi-

---

ca ex actis tabularii elect. Moguntini nunc primum in lucem edita; cum edd. vulgg. contulit notisque illustravit Chr. Gfr. Müller. Accessit formula Confutationis Confessionis Tetrapolitanae latina, nunc quoque primum edita. Lipsiae 1808. 8. Confessio Augustana et Responsio Pontificia s. Confutatio, quae vulgo dicitur. Utramque e cod. Dessav. typis reddendam curavit Dr. Mich. Weber Viteb. 1810. 8. Die Widerlegung der Augsb. Conf., welche im Namen des Kaisers und der römisch gesinnten Stände des deutschen Reichs am 3. Aug. 1530. auf dem Reichstage zu Augsburg öffentlich vorgelesen worden ist; nach der Urkunde des Mainzer Archivs abgedruckt, mit einer geschichtl. Einleitung und erläuternden Anmerkungen versehen von Joh. Wilh. Schöpff. L. 1830. 8. Et b. Müllerus quidem in Prolegomenis suae ed. p. XIII. ss. copiose et subtiliter egit de iis, quae Augustae inde a die XXVI. m. Jun. acta sunt, de examine Aug. formulae ampliusque historiam Confutationis persequutus est p. XXVI. ss. eamque p. XXIX., praeeunte Jona, quinquies, certe p. XLVI. iterum iterumque, refictam esse monet, Pflugianum exemplum pluribus locis discrepare ab editis et videri iam scriptum esse antequam praelegeretur emendata confutatio, denique de teuton. exemplo plura disputavit; de ipsa autem confutatione acute iudicarunt Plankius p. 58. et alii.

44) Loca ex epp. Melanchthonis attulit iam Wohlfarth. l. l. p. 27. s. add. Cyprian. inter Additam. p. 192. et 194.

45) vid. Bertram von der Apologie der Augsb. Confession und ihren verschiedenen Abfassungen in s. Litterar. Abhandlungen T. III. p. 37. ss. et IV.

nitis comitiis Melanchthon Vitebergam reversus accepit ipsam confutationem et retractavit apologiam atque auxit multis modis ita, ut et decreta ab adversariis vel impugnata vel male intellecta cum explicaret uberius tum diligentius tueretur, et quos praeterierat in formula proposita Pontificiorum errores nonnullos accurate notaret, et iis etiam locis, qui illis probati erant, novas adderet et singulares observationes, 46) sequutus ordinem locorum formulae Augustanae. Quod quidem prudenter ab eo factum est, quum adversarii etiam formulae singula capita et decreta deinceps essent aggressi, ut igitur facilius apologia cum ista confutatione comparari et discerni possent, quae adversarii probassent quaeve reprehendissent in unoquoque loco. Sed magis etiam prudentia auctoris conspicua est in omni et consilio et modo defensionis. Nam ut illud eo valuit, ut publice ostenderetur, non esse, quod vel imperator videtur existimasse, certe simulavit, suam doctrinam vere refutatam: ita defensio sic est comparata, ut et suppleret, quae formula ipsa non erant comprehensa sed consulto praetermissa, ne omnes omnino Romani coetus a vera et antiqua Christianorum doctrina et institutione aberrationes accusando, odia maiora contraherentur, et invidiam criminationemque, quam auctor subierat per illa colloquia depelleret ei restitueretque pristinam auctoritatem, quae ipsi rei nostrae plurimum profuerat. Nam si quae erant tum commissa, quae vituperatione non carerent, abunde ea sunt compensata apologiae laudibus. Sapientissime enim in hoc libello est provisum, ut cum doctrinae copiosae vi et disputandi ingeniosa subtilitate coniungeretur respondendi etiam calumniose scriptis 47) modestia et

---

p. 1. ss. Est autem haec brevior defensio postea edita, quamquam de ea dubitantius loquitur Saligius. Add. Coelestin. T. I. p. 1. — 84. et Schröckh. I. p. 495.

46) Quoniam Apologia a plerisque scriptoribus levius est et appendicis ad conf. Aug. loco tractata, copiosius eius argumentum et virtutem exposuerunt b. Schroeckhius H. Eccl. p. Ref. T. 1. p. 485 — 493 et S. V. Tittmannus Institutt. Symb. p. 143 — 177. Notum est Melanchthonem eam latine scripsisse, in vernaculum sermonem esse a Iusto Iona, et paulo liberius, versam, neque ei defuisse suum adversarium, Cochlaeum, acerrimum istum, sed ineptum novorum sacrorum hostem. Ipse Melanchthon suum nomen professus est eiusque rei causam in praefat. Apol. indicavit.

47) Melanchthon in praef., et nunc scripsi, ait, quam potui moderatissime ac, si quid videtur dictum asperius, hic mihi praefandum est, me cum

orationis latinae, quae tum esse potuit, elegantia. Itaque effectum est, ut nec tum nec postea impetus adversariorum vel de Melanchthonis laudibus et meritis in familiam nostram vel de doctrinae, formulae Augustanae eiusque defensionis veluti fundamento nixae, puritate et consensione [48] detrahere posset. Ut enim doctrina illa hausta unice fuit non ex humanarum opinionum commentis, quae dies delet, sed ex limpidis divinorum auctorum fontibus: ita neuter libellus liberam et solidam divinorum impedivit librorum interpretationem, quam ipsi Lutherus et Melanchthon sequuti sunt; [49] neuter discessit ab illo communi omnibus et iure et officio examinandi accurate religionis decreta, unde omnis sacrorum emendatio exorta est et quo nititur ingenium nostrae familiae bene instructum; neuter suos adstrinxit uni illi formulae, pro tempore, ut cum Melanchthone scribam, propositae; [50] neuter prohibuit, quo minus nostrae religionis et formulae interior cognitio et multiplex usus quaerendo, meditando, illustrando, cum sacris litteris et sanae rationis, qua deus nos ornavit, decretis praeceptisque conferendo, in dies augeatur, in scientiam certam convertatur, denique ad vitam regendam transferatur. [51] Quod quam salutare

---

Theologis ac monachis qui scripserunt Confutationem litigare, non cum Caesare aut Principibus, quos ut debeo veneror.

48) Merae enim cavillationes fuerunt, quibus discrepantia editionum Aug. Confessionis petebatur, ut in libro: Augustana et Anti-Augustana Confessio, das ist, Augspurgische Glaubens Bekanntnuss Und dero Gegenlehr etc. Auff Befehlch Leopoldi, des H. R. Reichs Graffen von Kollonitsch, Vindob. 1681. 4. Alios commemoravit Danzius p. 57. ss.

49) V. Wohlfarth lib. laud. p. 181. ss. S. V. Baumgarten-Crusius über Gewissensfreiheit, Lehrfreiheit und über den Rationalismus und seine Gegner, Berol. 1830. p. 8. s. 47. ss.

50) Vid. Apologie der Verpflichtung der protest. Geistlichen auf die symbolischen Bücher, im Geiste des Rationalismus verfasst von El. Steph. Henr. Sittig. 1830.

51) Praeter antiquiora de libris symbolicis scripta a S. V. Danzio lib. laud. d. 72. ss. enumerata conferendi sunt recentissimi hi: K. A. Märtens über die symbolischen Bücher der ev. luth. Kirche, ihre Entstehung, Geltung und Vereinigung mit den ev. reformirten Symbolen, Halberst. 1830. 8. Die Augsburger Confession beleuchtet im Jahre 1830, oder: die evangelische

fuerit futurumque semper sit omnibus, qui non verbis formulae inhaereant, sed sensum et ingenium eius consequantur, neque in mera formula gradum sistant, sed duce illa progrediantur in religionis nostrae doctrina exploranda, stabilienda, animis infigenda, moribus exprimenda; quantum contulerit aequis formulae aestimatoribus et nunquam non profuturum sit ad fidem sacrae doctrinae confirmandam, obsequium ei praestandum, animorum tranquillitatem iuvandam, vitae honestatem efficiendam, patet. Haec si nobiscum diligenter perpendamus, si prudentiam consiliorum, salutis Christianorum illius temporis et omnis posteritatis curam, libertatem, constantiam, modestiam, concordiam, pacis studia, aequitatem et amorem erga dissentientes et adversarios etiam iniquissimos, quibus virtutibus eminuerunt et Principes et Theologi nostri eo tempore, non in mentem modo revocemus nobis, sed exempla imitanda proponamus et sequi constituamus: memoriam Augustanae formulae ante hos trecentos annos scriptae et publice redditae optime, ut decet, recolemus, et festos, quibus id propositum est consilium, dies recte agemus. 52)

---

Kirche im 16ten und im 19ten Jahrhunderte, gemeinfasslich dargestellt etc. Stuttgart. 1830. (inprimis p. 7. s. et 230. ss.) Parallele zwischen 1530 und 1830. in symbolis litter. (Blätter zur liter. Unterh. n. 141. (p. 562.) — 144. et Wohlfarth zur Feier des 3ten Secular-Festes der feierl. Uebergabe der A. C. (Sect. 3. p. 70. Bedeutung der A. Conf. und der symbol. Bücher an sich und für unsere Zeit, et 4. p. 106. über symbolische Schriften überhaupt. Add. Profess. acad. Vratislav. D. Dan. de Cölln et D. Dav. Schulz libellus: Ueber Lehrfreiheit auf den evangelischen Universitäten und deren Beschränkung durch symbolische Bücher (1830) p. 14. s. 22. ss.

52) Vid. Wohlfarthii Comm. über die Feier des bevorstehenden Jubelfestes der A. C. oder wie begehen wir dieselbe auf eine würdige Weise? in lib. laud. Sect. 5. p. 158. ss. Caeterum quae scripta olim sunt de utroque A. Conf. iubilaeo, recensuit iam Danzius, V. S. V. in epitome scholarum de historia A. C. p. 77 — 80., ad quae nuperrime accessit: Die erste und zweite Jubelfeier der Uebergabe der Augsb. Confession, nach den Verhältnissen, unter welchen, und des Geistes, in welchem es die evang. Kirche Deutschlands, im J. 1630. u. 1730. gefeiert hat, nebst der Geschichte der Uebergabe der Confession selbst, dargestellt von Car. Wilh. Hering, Past. in Zöblitz. Chemnitz 1830. (inde a. p. 58 — 312. additis p. 313. ss. decretis nonnullis de secundo Jubilaeo celebrato.

Cui quidem pietatis officio academia nostra satisfaciet multamque opportunitatem praebebit celebrandi divinam providentiam, quae in summo discrimine, in quod tum novae familiae salus vocata erat, et amicos eius erexit et consilia moderata est et exitum posteris omnibus saluberrimum dedit, precandique deum, ut, quae maioribus largitus est religionis emendatae beneficia, ea a nobis recte conservari neque eripi vel nostra culpa vel aliorum insidiis patiatur. Eo spectabunt cum sacra omnibus communia per triduum in aede academica ex Regio mandato agenda, tum propria academiae, quae primo festi die, d. XXV. m. Jun. meridiano tempore in eadem aede instituentur, hymno ad modos musicos a peritissimo artis magistro, Fr. Schneidero, compositos decantando, et oratione latina a primario academiae Theologo J. A. H. Tittmanno habenda, quam excipiet doctorum theologiae recens creatorum et meritissimorum renunciatio. Hanc nostram solemnitatem ut Sua praesentia ornent et h. XI. d. d. in aedis Nicolaitanae sacello conveniant atque inde pompam in aedem Paulinam solito more ducant, observantissime rogamus Serenissimum Holsatiae principem, Perillustrem Legatum Regium extra ordinem apud academiam constitutum, illustria Curiae Regiae supremae, Consistorii, Scabinatus et alia omnia Regia collegia, Senatum civitatis amplissimum, ecclesiarum et scholarum doctores venerandos, hortamur autem humanissime et literarum magistros omnium ordinum clarissimos et commilitones optimos. Quibus nostris precibus et cohortationibus si responderit plurimorum, quos decenter invitamus, benigna voluntas, magno id nobis honori habitum iri profitemur. P. P. in Univ. Litt. Lipsiensi Domin. II. p. Fest. Trinit. A. aer. vulg. CIↃIↃCCCXXX.